



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. Idem a Cant. Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

NOTÆ.

^a **A** *Lexander.*] Ita legitur in prima collectione, sub hoc titul. cap. 1. & post Concil. Later. p. 2. cap. 7. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, nec ex serie textus facile deducitur.

^b *Talliam*] Tallia quid, exposui in cap. adversus, de immunit. Eccles.

^c *Despicabiles.*] Quia laicis Clerici infesti sunt, cap. Clericos, de immunit. Eccles. in 6. d. *Exactiones.*] Juxta tradita in cap. cum Apostolus, de censibus, ubi commentarium hujus textus dedi.

^e *Suspendere.*] Hanc partem exposui in cap. quæsiisti, de his que sunt a Pralat.

CAPUT II.

Idem a Cant. Archiepiscopo.

AD hæc quoniam prædictus Episcopus, sicut accepimus, plures Ecclesias, & præcipuè Ecclesiam de Nortun. à ^b consuetudine, & obsequio Archidiaconorum libera constituerit, & immunes, & in hac parte redditus eorum, diminuit, & attenuavit: nihilominus tibi significatione præsentium injungimus, ut si res ita se haber, factum Episcopi super hoc ap. rem, corrigas, & emendes, & ita provideas, quod præfato Archidiacono consuetudines, quas Presbyteri in Ecclesiis sui Archidiaconatus debent, plenariè conferentur, & illi gratam reverentiam exhibeant, & honorem.

NOTÆ.

^a **C** *Antuariensi.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. & in c. ad hæc 20. de appellat. c. ad hæc, de privil. ubi extant aliæ partes hujus Decretalis, ut notavi in d. c. 20.

^b *Consuetudine.*] Præcipua enim jura Archidiaconorum, tam circa jurisdictionem eorum, quam circa obventiones, consuetudine introducta sunt, cap. ad hæc, de officio Archid. ubi de his juris latè egimus, & docet Cironius ad tit. de officio Pccarii, & lib. 2. obs. cap. 18.

CAPUT III.

Idem a Exoniensi Episcopo.

AD aures nostras pervenit, quod quidam Archidiaconi tui se in Ecclesias, quæ in suis Archidiaconatibus ^b vacant, auctoritate propria non verentur intrudere, & sic ipsas Ecclesias detinere non erubescunt. Attendentes itaque, absonum, & omni rationi contrarium esse tantæ præsumptionis excessum, nec volentes incorruptum relinquere: f. t. per A. f. p. m. quat. si qui Archidiaconi sunt in Episcopatu tuo, qui tali modo Ecclesias occupant, vel occupatas detinent, ipsos ad eas dimittendas omni oc. & ap. cess. Ecclesiasticâ censurâ ^c compellas, & easdem Ecclesias personis idoneis, & honestis ordines: & præfatos Archidiaconos pro tanta præsumptione debitâ cures animadversione punire,

NOTÆ.

^a **E** *Xoniensi.*] Ita etiam habetur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 3. & post Concilium Later. part. 24. cap. 3. De Exoniensi Diœcesi egi in cap. 6. de filiis presbyr.

^b *Vacant.*] In quibus jus habent instituendi e-

lectos corporaliter, c. ut nostrum, de offic. Archid. c. *Compellas.*] Quia nemo seipsum instituere potest, quia inter dantem, & accipientem constitui debet differentia, c. per nostras, de jure patronat. cap. final. de instis. nec collator sibi beneficium retinere potest, cap. unic. ut ecclesiast. beneficia. Commentarium hujus textus dedi in dict. cap. final.

CAPUT IV.

Idem In Concil. a Lateran.

CLerici. Et infra: Quicumque illa incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in ^c filios diffidentia, & ^d quinque civitates igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare, si Clerici fuerint, ^e de jiciantur à Clero, vel ad agendam penitentiam in Monasteriis ^f detrudantur: si laici, ^g excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.

NOTÆ